



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De festis Christi, & reliquijs Sanctorum. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

De festis Christi, & reliquijs Sanctorum.

Psal. 25.

I. **D**omine dilexi decorem domus tue, & locum habitationis gloria tua. Hac domus tua Deus, multipliciter & sublimiter decoratur festis tuis, & Sanctorum tuorum reliquijs venerandis in multis locis, vnde deuotio fidelium maxime excitatur ad laudandum. Decorasti Domine celos, sanctis Angelis: firmamentum, Sole, Luna, stellis; aera, auiibus; aquas, piscibus; terram hominibus & bestiis, cum alijs innumeris bonis, pro vrbibus nostris. Et nunc in fine seculorum, pro speciali munere dedisti te ipsum nobis in Sacramento, tanquam dulce manna in cibum; ne essemus in hoc mundo sine Deo & Angelorum cibo. Et ideo omnis locus & Ecclesia, vbi fuerit hostia consecrata in altari vel in arca clausa, debet haberi in maxima reuerentia, cum omnibus libris, vasis, ac vestibus ad cultum Dei pertinentibus.

Christi temple & festa.

2. Vide ergo & considera mira Dei opera in sancta Ecclesia. Tempora Christi & Sanctorum, castra sunt Christianorum; vt in eis vigilent & orent, & contra diabolum pugnent. Festa Christi & Sanctorum designant gaudia celorum; vbi nunc cum Christo

Sanctorum nomina cui vsui sint Christianis.

Gesta. Scripta. Signa.

Ossa.

Imagines. Pictura.

Organa psalmica. Cantica.

regnant, qui mundum contempserunt. Nomina Sanctorum, & praecipue Iesus & Maria, sunt plaga & tonitrua demoniorum; quibus terrentur, vt fugiant a facie eorum. Gesta Sanctorum confirmant corda pusillorum, vt constantes sint, & per arctam viam eos sequantur. Scripta Sanctorum, lucernae sunt viatorum, ne in fide errent, sed sanctorum dictis firmiter credant. Signa Sanctorum confundunt facta malorum, ne bonos opprimant, & in suis malitijs gloriantur. Ossa Sanctorum roborant fidem populorum, ne mori timeant, sed cum electis resurgere confidant.

3. Imagines Sanctorum excitant mentes deuotorum, ad amorem & venerationem eorum, vt pro nobis orent. Picturae Sanctorum, scripturae sunt laicorum; vt videant quid agere & quod tendere debent. Organa musicorum in Ecclesia mouent corda tepidorum, ad optanda aeterna praemia beatorum. Cantica psalmorum accendunt animas aridorum ad pristinum feruorem, per ora multorum. Carmina hymnorum recreant aures clericorum, vt cantent & exultent in conspectu Dei & Angelorum. Sicut fistulae multae in organo dulcem sonum reddunt audientibus; sic multi fratres concorditer psallentes, valde placent Deo & omnibus caeli ciuibus. Omnes ergo simul oremus, & Christum inuocemus: Ad societatem ciuium superiorum, perducatur nos Rex Angelorum. Amen.

CAPVT